



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Enchiridivm Chronologicvm Sacræ Et Prophanæ Historiæ**

**Salian, Jacques**

**Coloniæ Agrippinæ, 1638**

Capvt VI. Regulæ dirigendæ, ac stabiliendæ Chronologiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64957)

CAPVT VI.

*Regula dirigenda, ac stabilienda  
Chronologia.*

SEquitur vt nonnullas stabiliendæ  
Chronologiæ regulas persequa-  
mur, quas si studiose secuti fue-  
rimus, quantum quidem humana-  
rum rerum infirma conditio ferre po-  
test, aut nunquam, aut certe raro ab-  
errabimus à recta via. In ijs princi-  
pem locum tenet diuina autoritas,  
quæ sacris literis continetur: Et qui-  
dem vel distincte & explicatè, vt A-  
damum mortuum esse anno mun-  
di & suo 930. vel ex certa, rectaue  
consecutione: vt Noemum natum esse  
anno mundi millesimo & quinqu-  
simo septimo, quoniam, Scriptura te-  
ste, sexcentorum erat annorum ine-  
unte Diluuiò, quod incidit in annum,  
vt fatentur omnes, 1656. iuxta He-  
bræum textum, editionemque Vulga-  
tam. Mathusalem quoque, qui eodem  
ipso anno mortuus est, neque octo  
animabus, quæ erant in arca, com-  
prehendebatur, recte colligimus anno  
mundi natum 687. vt qui vixerit an-  
nis 969. Denique natum Abrahamum  
anno

*ad Chronologiam.*

anno patris sui 130. quippe qui moriente patre, anno vitæ 205. septuaginta quinque erat annorum, quod utrumque est, ex ipsa Geneseos affirmatione, perspicuum. Quod si qua dubitatio in sacro textu nascatur, ea vel ex alio eiusdem loco, si quis occurrat, vel ex sanctorum Patrum interpretatione, vel ex recta ratione expedienda est. Ut in hoc ipso exortu Abrahæ. Scriptura enim, quæ ait Thare fuisse 70. annorum, cum genuit Abram, Nachor, & Aram, non pugnat cum ijs, quæ paulo ante ex ea protulimus, sed ita intelligenda est, ut duntaxat affirmet Thare non genuisse tres illos filios ante septuagesimum annum, sed deinceps. Sic enim paulo ante dixerat, Noë cum quingentorum esset annorum, genuisse Sem, Cham, & Iapheth, id est, non prius, sed ab anno quingentesimo.

Ca. 11. 32.

Ca. 12. 4.

Gen. 11. 26

Gen. 5. 31.

CAPVT VII.

*Altera regenda Chronologia  
regula.*

**A**ltera regula est Humanum testimonium, vel scripto vel verbo traditum: quod tanto firmitus est,  
ac